

DISPVVTATIO MEDICO HISTORICA

SISTENS

CHRONOLOGIAM

FORMVLARVM MEDICARVM ET

REMEDIORVM CHIRVRGICORVM

QVAM

PRAESIDE

CAROLO AVGVSTO DE BERGEN

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDINARIO

SOCIETATIS CAESAREAE NAT. CUR. SODALI

HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

DEFENDENS

CAROL. STEPH. LVDOVIC. WESENFELD.

CROSNENSIS SILESIUS.

~~36-~~ AD DIEM III. OCTOBRIS MDCCCLIV.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEXIL.

Dicitur deus natus  
Clementia et misericordia  
Clementia et misericordia  
Benevolencia et caritas  
Clementia et misericordia  
Clementia et misericordia



Q. D. B. V.

S. I.

**R**emedium pharmaceuticorum, nec Medicinae  
minus chirurgicorum historiam ame-  
dicinae incunabulis ad nostra usque  
tempora levi penicillo adumbraturi, in limine quasi  
confitemur & agnoscimus, utramque iisdem ferme  
satis pressam esse, ac reliquas tam liberales, quam  
opificum artes. Artium enim & scientiarum initia  
rudem quandam simplicitatem præ se ferunt, quam  
pharmacæ & chirurgiae praesidiis, eorumque indoli  
& numero attribuamus necesse est. Imo comparati-  
one instituta asseverare non veremur totius medi-  
cinae seriorem longe apud primævos fuisse pro-  
gressum, quæ artium quarumvis aliarum. Nam si  
simplicem vivendi rationem & hōminum ante dilu-  
vium natorum, non unius sed plurium seculorum  
longævitatem perpendimus, aut nullos, aut rarissi-

A 2

mos

mos fuisse morbos dicendum est, sed plerosque mor-  
tem nonnisi ex necessitate naturali, senio scilicet  
confectos subiisse; ubi vero nulli vel paucissimi sunt  
morbii, etiam nulla vel simplicissima medicina opus  
est. Nonnisi conjecturis ad origines rerum anti-  
quissimarum, quales sunt medicinæ incunabula,  
evntes, a vero non multum aberrare nobis  
videmur, si primam & antiquissimam medicinam chi-  
rurgiam fuisse contendimus, & per consequens me-  
dicamentorum forinsecus applicatorum usum hanc  
primævam medicinam constituuisse. Crescente  
autem hominum numero in seperatas societas coi-  
vere, & sensim inter ipsos natæ sunt rixæ, bell. &  
dissidia, unde plagæ, vulnera & contusiones primi  
mortaliū morbi. Medelam ergo adhibita manu-  
um opera in malis externa vi illatis quæsiverunt ex  
rebus maxime obvijs, & quibus alias ad victum ute-  
bantur, scilicet ex plantis, quarum ad vires ri-  
mandas curiosiores, quicquid memorabile observassent,  
cum aliis sine dubio communicarunt. Invalecente  
postea generis humani depravatione, incremente  
luxu & animi passionibus, multiplicatis eduliis mul-  
ta arte excogitatis, mutato etiam telluris situ post uni-  
versalem cataclysmum, rerum nonnaturalium effectus  
sensibiliores noxas, morbos scilicet internos produ-  
xit, quibus procul dubio eadem opponebant simpli-  
cia, sed interne vel per se, vel cum aliis vehiculis  
data. Amplificata sensim & suscessive Morbonae ty-  
rannide de ampliori quoque remediorum appara-  
tu cogitare cœperunt mortales, hosque primum,  
quibus curæ cordique erat aegrotis succurrere,  
medicos vocabant, quos sane non ultimos ex ple-  
bis facce, sed proceres & principes familiarum & so-  
ciatum fuisse non una suadet ratio. Morbis deni-  
que

¶ 10 ¶

que in dies magis obviis & quotidianis factis medicinæ scientia ad privatorum quoque notitiam transiit & ab ipsis exercita est. Primi in orbe procul dubio extitere Chaldæi, post eos Aegyptij, ex quibus HERMES ejusque discipulus AESCVLAPIVS inclaruere. Græci deinde, ut in reliquis, in medicina Aegyptios habuerunt magistros, insignem vero inter hos CHIRON GENTAVRVS ejusque filii PODALIRIVS & MACHAON Trojanæ expeditionis testes famam consecuti sunt, donec aliquor elapsis seculis magnus HIPPOCRATES primus medicinam in quoddam doctrinæ corpus congesserit, ex quo satis patet, quam simplex adhuc suo tempore artis ambitus fuit, cum ipse unus & medicus clinicus & chirurgus & pharmacopola fuerit.

Intimus hic medicinæ partium nexus in una & remediis persona longum perduravit in ævum, ut exemplo orum, CELSI, GALENI Græcorum & Arabum in æra christiana viventium satis constat, non tamen negamus, medici officium, ex quo medicamentorum compositio & numerus, aucto insimul morborum catalogo comulabatur, operosum supra modum & negotiosum fuisse. Huc usque certum est medicos suorum medicamentorum fuisse præparatores & dispensatores. At cum postea Arabes catalogum simplicium & compositorum medicaminum mirum quantum auxerint, & solus AVICENNA teste FREINDIO Hist med p. 118. cassiam fistulam, rhabarbarum, tamarindos, myrobolanos introduxerit, item ioh. MESVE ob novitatis studium in augendis medicamentis pharmaco-pororum evançelista sit vocatus, agendorum mole

obruti medici suos instituere amanuenses, quibus & præparatio & dispensatio medicamentorum concreta fuit. Hæc mansit medicinæ facies, donec temporum barbarie excussa, medici, vel ex amicitia erga suos dispensatores, vel ex socordia, vel ex lucri odore, in sola visitatione ægotorum occupati, medicamentorum præparationem suis amanuensibus reliquerint, horumque insolens numerus, ne res publica detrimentum caperet, effecerit, ut magistratus pharmacopolia publica condiderint, quibus privilegia, taxam & visitationes annuas concesserint. Et quidem in Africa primum videntur medici hanc euram a se in alios rejecisse, quo tempore ibi fluerunt nobilissima regna Tunetanum & Marocanum, AVENZOARIS sane ævo morem illum in Africa obtinuisse non videtur dubitandum, inde cum doctrinarum artiumque omni genere in Hispaniam primum, mox in Europæ reliqua concessit.

## §. III.

*conditio.* Ex dictis elucescit medicos antiquos suorum medicamentorum dispensatores fuisse & quasdam horum compositiones iterata experientia, aucta fide, tantam sibi tamam conciliasse, ut a medicis infectorum temporum servato inventoris nomine quotidie usurpata fuerint, ut satis exemplo Philonii Romanii, Mithridatii, confectionis Hamech &c. innovescit. Quamprimum autem officinæ pharmaceuticæ constitutæ sunt, hæ priscorum compositiones sub nomine medicamentorum officinalium una cum simplicibus omnis generis harum officinarum apparatus constituere, atque ex eo propemodum tempore medici cum pharmacopolis de certis præscriben-

bendorum remediorum formulis convenere, ubi san-  
ctum est res ipsas & pondera arcanis characteribus ex-  
primere, non tam ad ostendandam eruditionem, quam  
ad præcavendum abusum & has formulas *Receptas*  
*dixere*, seu formulas magistrales, quæ nihil aliud sunt,  
quam schedulæ consignatoriz unius vel plurium sim-  
plicium & que ac compositorum officinalium phar-  
macorum, quorum aptam mixtionem & præparati-  
onem pharmacopola procurat.

#### §. IV.

Nemo itaque inficiabitur ab eo tempore dupli-  
cem extitisse medicamentorum compositorum clas-  
sem, alteram eorum, quæ in officinis in omnem e-  
ventum jam parata prostabant sub nomine *compo-*  
*sitionum* vel *formularum officinalium*, alteram eorum,  
quæ medicus schedulam consignaturus ex tem-  
pore in chartam conjiciebat, sub nomine *compositi-*  
*onum magistrorum* sive *extemporanearum*, a phar-  
macopæo in præsentem & urgentem usum præ-  
parandarum. Non tamen ideo negamus formulas  
magistrales antiquis medicis ante officinarum phar-  
maceuticarum institutionem prorsus fusile incognitas,  
cum quævis talis compositio ex combinatione sim-  
plicium & compositorum antiquorum *formula ma-*  
*gistralis* dici mereatur, sed tantum existimamus, nu-  
merum & diversitatem formularum officinalium mi-  
re multiplicatum esse.

#### §. V.

Ad institutum nostrum proprius accedentes hoc *Instituti*  
in specimine non solum de ætate & inventione com-  
posito-

positorum medicamentorum partim formularum officinalium, partim magistralium acturi, sed etiam propter analogiam thematis praesidia & remedia chirurgica, eorumque antiquitatem praesentis tractationis partem facientia, adeoque utriusque fontis remedia ordine alphabetico descripturi sumus.

## S. VI.

Aceta

Primum compositorum officinalium locum occupant aceta sic dicta *officinalia* quorum usus & inventio non plane in idem incident ævum. Aceti multi confectionem pâssim docet *HIPPONCRATES*, vix autem inter aceta medicata ullum novimus antiquius *aceto squillitico*, cuius inventio in libro *GALENI* non genuino de medicamentis facile parabilibus teste *SCHULTZIO* hist. med. p. 171. jam *PYTHAGORE* tribuitur. *Aceta bezoardica* per infusionem herbarum acerum & aromatum parata Arabibus reliquisque medicis mediæ ævi adscribimus.

## S. VII.

Aqua de-

*Aqua destillatae* non parvam medicamentorum officinalium lacunam complentes, nec inter vetustissima, nec recentissima medicorum pertinent inventa. Qui majorem antiquitatem hisce stillaritiis aquis tribuunt, ad tempora *DIOSCORIDIS* regreduntur, sic *HERMANNVS CONRINGIUS* med. Herm. cap. 26. p. 371. vocem arabicam alembici ex græco nimirum *αεβιζ* transformatam putat, & destillationem Græcis notam fuisse ex verbis *DIOSCORIDIS* lib. 5. cap. 64. de sequenti hydrargyri præparatione colligit: in fictilem patinam ferream habentem concham

cin

„cinnabaris conjicitur, postea vero <sup>au</sup><sub>βινα</sub> impo-  
nunt, & luto circumlinunt, carbonesque subtus  
accendent, quae <sup>au</sup><sub>βινα</sub> postea fuligo inhæsit, de-  
rasa refrigerataque hydrargyrus est. Alii, quire-  
centioris ævi hoc inventum existimant, allegant ACTVS  
ARIVM, qui teste FREINDIO loco citato p. 167. XI. & XII.  
æra christiana vixit seculo, jam jam aquas ex plan-  
tis stillatias commemorant. Et IOH. DAMASCENVS  
MESVE dictus ad finem seculi XII. primus aquæ rosarum  
chymice paratæ mentionem facit ibidem p. 117. Atii  
nono seculo hoc inventum assignant, quoniam  
Imperator CONSTANTINVS Porphyrogeneta IX. seculi  
princeps in vita BASILII MACEDONIS avi sui cap. XIII.  
testatur, imperatricem animi deliquio correptam <sup>in</sup> <sup>in</sup>  
pœda <sup>edynæ</sup> conspersam fuisse, quod aquam rosarum  
vertunt. Et licet AEGINKA lib. VII. cap. XV. per  
rhodostagmæ syrupum rosarum intelligat, HER-  
MANNUS tamen CONRINGIUS loco citato p. 402. ma-  
vult aquam rosarum interpretari, quia absurdum fo-  
ret hypothymia correptos sympo rosarum consperso re-  
focillare. Vetusta tamen hæc destillatio tempore dio-  
scoridis potius erat sola sublimatio, utpote ex vasis  
terreis, non vitrois facta, multis incommodis  
subjecta, ut pluribus docuit BERNARDVS DESSE-  
NIUS CHRONENBURGIVS in lib. de compositione medi-  
camentorum p. 350. Occasionem denique hujus inventi  
commemorat G. P. ANGIROLLVS in novis repertis Amber-  
gæ 1602. p. 333. hisi verbis: „sunt, qui dicunt, me-  
dicum quendam, cum in mensa patinam caulisbus  
plenam haberet, subito advocatum ad ægrum in-  
visendum, patinam istam alia coepit usse, dein-  
de abisse, reverum vero superiorem patinam hu-  
metatam reperiisse, atque hinc animadvententem  
facilem fore humorum extractionem, eo ingenio-

um intendisse, ut destillandis aquis initium faceret. Hic quoque notandum est medicos recentiores ex commissione plurium aquarum destillatarum formulam magistralem invenisse loco vehiculi pulverulenti medicaminibus inservientem, quæ antiquis medicis plane incognita est.

## §. VIII.

*Balnea.*

Ad compositiones magistrales seu extemporalibus antiquis magis quam recentioribus usitatis referimus *balnea*, quæ a quibusdam ἀντερβαλνα a glande definiuntur, quia glandibus vescebantur primævi & in balneis succindebantur. Ab aliis iterum a vocabulo βαλναιον derivatur quod idem est, ac anxietatem ex animo pellere, ut ευσταχιος ad ΗΟΜΕΡΙΙΛΙΑDES k observat. Cujuscunque vero originis sit hoc vocabulum, certum est, usum balnearorum fuisse antiquissimum & primævos lineis pannis destitutos balneis insedisse ad fordes quotidianas eluendas, temporis vero tractu ad restorationem amissæ sanitatis adhibuisse, imo tandem apud Romanos in volupuariis usus cessisse, quod balnearum, ædificiorum in hunc usum exstructorum magnificentia probat, ut fuse docet H. MERCURIALIS de arte gymnastica lib. 1. cap. X. Imo si quis curiosus balnei Romani partes æstimet, quinque apud antiquos scriptores reperiuntur. Ex his tepidarium prima erat, ædificium omni parte occlusum ac siccis ab igne redditis vaporibus calens. Secunda, priori similis, nisi quod impensis ferveret, erat calidarium seu laconicum, sudoribus fusius evocandis dicata. Tertia calentis ac dulcis aquæ lavacrum erat, solium appellatum. Quarta vero frigidum lavacrum denudi ac roborandi sine institutum, qua-

quarum non quidem omnium usus semper erat necessarius, sed suae cuique corporis affectioni proprius. videatur IOD. LOMMIVS in commentario ad Celsi lib. I. p. 120. GALENVS quidem 3. de R. V. I. A. e. 44. & cap. 3. de iis, quæ in medicina &c. e. 32. scribit balnea HIPPOCRATIS tempore in Græcia non adeo frequenti in usu fuisse, sed nihilominus sed. IV. 361. 30. edit. Fafsi bâlnei aquae dulcis & salinæ mentionem facit, & in lib. de dieta ommia requisita balneis utentium graphicè adeo describit, quod nempe quiete se gerant in balneis homines, non vociferentur, ipsaque pleno ventre non ingrediantur &c.; ut sane non videamus, qua ratione veritas asserti Galeniani stare possit. Veteres quoque notitiam balneorum arenæ habuerunt, qua corpus obruerunt in expellen- dis & dissipandis humidis nimis & roborandis partibus solidis. Aliquot morbis utilem inter coeteros hydropi proposuit DIOSCORIDES loco citato lib. V. cap. 1. 124. & GALENVS de simpl. med. fac. cap. de py- rite, qui posterior arena maris calida BOETHI uxori diuturno uteri profluvio ob superantem incor- pore humorem detentam curavit. Iisdem balneis usus est CELSVS lib. II. cap. 17. in arthritide, DIO- SCORIDES in tumoribus hydropicis, CÆLIUS AU- RELIANUS in cachexia. Caeteroquin hoc balnei genus vocat M. A. SEVERINVS de efficaci medicina p. m. 391. arenationem seu γαμπτικον & hanc a faburatione distinguit, quæ ipsi est voluntatio in marino fabulo. Tandem in πολυσαρξia seu superflua carne CÆLIUS AV- RELIANVS morb. chron. cap. XI. commendat usum arenæ littoreæ ferventis. Quorum balneorum arenæ usus hodie exolevit, in Gallia tamen meridionali teste Dn. GAVSS exerceit: subseciv. Francof. Tom. III.

*Sed. 1. p. 144.* adhuc hodie inter accolas maris mediterranei in usu est. *ruissima medicina non nivis* *et in inofibibus siueque turgidis osis bel. antillos* *ad eum inveniuntur et §. 9. ior. cor. iustis* *autem*

*Balsimum.*

*Balsum hodie constituit medicamentum tam officinale, quam extemporaneum factum ex pinguis oleis expressis, stillatitiis, essentij spirituosis, salibus valatibus & aromatisbus, quod artificiali sua consistentia, odore & effectibus aliqualem cum balsamis nativis convenientiam habet. Inventum est recentiorum temporum post erectas officinas pharmaceuticas, quod veteribus ignotum erat, qui quippe sub balsami nomine nil nisi nativum Arabicum vel Syriacum intellectere. Vox ipsa hebraicae prosopiae derivatur a *Baal seu Bel & Schemen* pinguetudo, quasi diceres unguentum princeps & primarius.*

*Bolus.*

*Bolus, compositio magistralis denotat formam medicamenti media inter solidum & fluidum consistentias, a quantitate boli alimentorum cognominati, quod a veteribus cognitum fuerit, ex titulo catapotii (§. xii) feso manifestabit.*

*§. XI.**Cataplasmata.*

*Cataplasmata, quae iterum compositiones extempora-neas constituunt, sunt species epithematis mollis ex herbarum foliis, radicibus, seminum farina cum, vel sine coctione in aqua, vel alio liquore lacti, & cuius antiquitatem cl. SCVLTZ Hist. Med. 436. jactat, dum ejus frequentem usum Pythagorais & ERASISTRATO adscri-*

adscribit. Denominationem hujus remedii forte **CX.**  
lio AVRELIANO *Aet. Morb. Lib. i. cap. 17.* tr buere  
deberimus, qui medicamentum, quod loco citato ex  
polline & aqua mulsa, iride Illyrica, oleo lentisci &  
calamo aromatico, & *Lib. III. cap. 18.* ex fœnugræ-  
co & lini seminibus aqua resolutis, quod graci-  
~~sancti Iosu~~ vocant, describit, cataplasmatis nomine infig-  
nivit. Vetus more tamen hujus medicamenti fuisse  
usum ex HIPPOCRATE discimus, qui *Lib. de affectionibus*  
§. 37. & *Lib. de morb. mul. II. §. 71.* nec non *sept. I.*  
§. 25. x. xi. clare monstrat eadem propemodum,  
hujus remedii suo tempore fuisse ingredientia,  
qualia sunt oleum, mel, vinum, aqua, quæ exci-  
piebant herbas coctas, farinam lini, fœnugræci, fucus,  
farinam hordei, furfures, panis micam, & perfe-  
cte ut hodie parari, quemadmodum **LE CLERQ HIST.**  
*de la Medicin. I. Lib. III. cap. 24.* pluribus evictum dedit.  
Usus ipsorum erat, ut hodiernis medentibus vel resol-  
vendi vel maturandi, sic HIPPOCRATES in angina spe-  
ciatim commendat cataplasma factum ex farina hor-  
dei in oleo & vino cocta, quod tam resolyentem,  
quam maturantem vim possidet. **GALEN** tempore  
*Lib. II. ad Glauconem* frequentissima cataplasmatis in-  
gredientia erant panis, oleum & farina. Insecu-  
tis temporibus alium fuisse cataplasmatum signi-  
ficatum ORIBASII, seculo quarto æra christiana viven-  
tis testimonio discimus, qui cataplasmata sine cocti-  
one parata *pinsa* vocabat, quorum terminus erat, ut  
valde lavigata & in unum conducta nec diffuerent,  
nec inquinarent, & *Lib. X. Cap. 31.* vocat catapla-  
smata medicamenta, quæ ulceribus purgandis super-  
dantur, quorum ingredientia sunt æs ustum, panax,  
cadmia & quæ carnes consumunt & exsiccant, ut  
ærugo, calx, chalcytis, misy, elaterium, atramenta

sutorum, quæ sane pharmaca hodie non cataplasma-  
tis sed fomenti genus constituerent. Essentialis ve-  
ro differentia inter cataplasmata veterum & hodi-  
ernorum medicorum in accessoriis quibusdam latet,  
quibus utuntur nostrates, scilicet admixtis tincturis,  
oleis aromaticis, spiritibus, essentiis, salibus volati-  
libus, sapone &c. quæ veteribus ignota erant.

## §. XII.

*Catapotium* Catapotium veteribus extemporanea erat com-  
positio sistens medicamentum quod definiente SERI-  
BONIO LARGO cap. 87. non diluitur, sed ita, ut est,  
devoratur. IOH. RHODIVS in notis ad hunc Aucto-  
rem p. 152, catapotium ἄντε ναρὰ πινὲν a deglutiendo  
derivat, vultque cum pilulis nostratium non esse con-  
fundendum, sed potius CELSO Lib. V. Cap. 25.  
idem significasse, quod medicis hodie bolus (§. X.)  
est. ACTVARIO metb. med. lib. V. Cap. 1. cata-  
potiorum materia jam jam in exiguo globulos sub  
nomine pilularum cogebatur, & hic locus forsitan fe-  
sellit cel. GOHLICKE Hist. Med. p. 647. quod exist-  
maverit HIPPOCRATI, qui lib. epidemiorum V. catapotia  
describit, jam cognitas fuisse pilulas. Ceterum ca-  
tapotia teste ACTVARIO loco citato Lib. V. Cap. 3. obli-  
qui, quam obtinent, insuaviratem excogitata sunt,  
quo plurima ipsorum injucunditas devorantes lateat,  
neque ventriculus propria nonnunquam humiditate  
onustus adventitiis humoribus oneretur. *admixta* feu  
catapotiorum contra sitim pariter meminit AEVIUS  
etab. 441. sub initio VI. seculi vivens.

## §. XIII.

*Canterium* Canterium derivatur a *κανέριο*, accendo, a quo  
*κανέριο*

usus ustio & rauriq; vel nausis ferramentum candens,  
 quorum usum nemo facile tam antiquum crederet,  
 qui HIPPOCRATEM non legit, sed suis scriptis Lib.  
 de locis in homine & de internis affectibus prodidit hoc  
 remedium ipsi tam familiare fuisse, ut vix chronicus  
 aliquis morbus existat, ubi ejus usum non  
 commendaverit, nam pthysicis in pectore & dorso,  
 splenis morbo & atra bile laborantibus hoc ipsum in  
 abdomen applicabat. Imo ex *textu* 47. Lib. de aere  
 aquis & locis colligitur, antiquissimæ originis fuisse,  
 & jam ante ejus tempora usitatum, nam inter Scyz  
 thas invenit multos imprimis vero Nomades, ex  
 ustos humeros, brachia, coxas, lumbos, manuum  
 que juncturas habentes, unde non immerito primæ  
 ætatis chirurgo CHIRONI CENTAVRO crudele hoc in  
 ventum in acceptis ferendum est. CEL. M. A. SEVERI  
 NVS de efficaci medicina p. 220. vult hoc remedii genus  
 primavis traducta consuetudine in plantis observata,  
 qua morbosas arbores ad caudicem vulnerabant, ad  
 hominem applicatum esse. Post HIPPOCRATEM cau  
 teriis usus est CELSVS Lib. III cap. 21. in hydrope,  
 DIOSCORIDES lib. VI. cap. 38. ad venenatos ictus, AE  
 TIVS serm. II cap. 28. in paralypsi linguae, PAVLVVS AL  
 GINETA Lib. III. cap. 13. in coxcendicis malo. Ex  
 sententia FOESII, HIPPOCRATIS commentatoris, instru  
 mentum ipsi erat æneus & parvulus calamus in fun  
 do perforatus, per quem immisso ferramento can  
 dente partes urebat, quod ex *textu* Lib. de hæmorrhoi  
 dibus, ubi per *duodenum* fistulam intellexit, satis patet.  
 Neque cauterium potentiale incognitum fuit magno  
 HIPPOCRATI, nam fungi speciem vel linum crudum in  
 promptu habebat, quod parti affectæ, v. g. digitis &  
 pollicibus podagricorum impositum cremabar, ut plu  
 ribus eleganter et docte exposuit LE CLERO loco citato  
 III. Cap. 28.

S. XIV.

## §. XIV.

## Ceratum

*Ceratum ἡρῷον* compositio tam officinalis, quam extemporanea, est emplastrigenus mediae consistentie inter emplastrum & unguentum, constans maximam partem ex cera & oleo, additis mucilaginibus, quæ tamen propter coctionem fere gratis assumuntur, quodque magnam antiquitatem praefert, dum HIPPOCRATES edit. Fœsi. seq. IV. 397. seq. III. 260. iis in suppuratione promovenda usus est. Sub nomine emplastri ex cera notum est CELSO Lib. V. 17. & PLINIO Hist. Nat. Lib. 22. cap. 24. & labra pingui delibata cerato MARTIALIS Epigrammat. II. 99. colmneticum apud foeminas usum testantur. GALENO familiare fuisse probat ceratum GALENI cuius mentionem facit ALEX. TRALLIANVS tetrab. p. m. 231. b. & frequentiorem horum usum ORIBASIVS depradicat. Quod reliquum est, ceromatis vel ceratorii appellatio invenitur apud CÆLIUM AVRELIANVM loco citata.

## § XV.

## Clysteres.

Medicamenti magistralis seu extemporanei speciem haud insimo loco constituant clysteres, engmata, lavamenta, gracis κλυσία, κλισμata a πλούσιοι abluere dicta, quorum usus est antiquissimus, & si fabulis AELIANI & PLINII fides adhibenda, ab ibidem Aegyptiis primum monstratus. Clysterem quoque scripsit SRIB. LARGVS propter mutuum veteribus v & u. usum HERODOTVS Hist. Lib. II. longe ante HIPPOCRATEM tradidit Aegyptios singulis mensibus triduo sese purgasse vomendo & intestina diluendo. His infusis, quæ plerumque sola mulsa & oleo constabant, ad recrementa ventris subducenda usus est HIPPOCRATE, & ubi forte non admittabantur, glandes seu

seu suppositoria substituebat Quasvis porro infusio-  
nes in cavitates corporis clysteris nomine compre-  
hendisse HIPPOCRATEM docet locus de his, quæ uterum  
non gerunt Sect. V. 680. ubi clysterem uterinum ex lacte  
equino cum vesica & fistula describit, imo pro loco  
excipiente diversa ipsis nomina erant, sic μητρεγχώται  
clysteres uterini, καθετήρες vesicæ clysteres & ωτέγχυ-  
ται meatus auditorii infusiones vocabantur, quas  
vesicæ clysteres etiam RVFFVS EPHESIVS de ves. aff. Cap.  
IV. commemorat. Medicis sectæ methodicæ ante  
GALENVM viventibus, ejusque contemporaneis, clyste-  
rum usū nihil familiarius erat, nam CÆLIUS AVRE-  
LIANVS de morb. chron. p. 502. in magna intestinorum  
putredine, quam νυμὴ appellant, commendat fistu-  
lam clysteris utrinque cavernatam, ab ipso αὐθίτη-  
τον vocatam, quo medicaminum liquida per utram-  
que partem intestinorum lateribus advenire possint.  
Indidem referimus, ipsum in encheiresi clysteres  
applicandi admodum accuratum suisse, imo clysteris  
nomen ipsi aliquando denotat instrumentum, quo  
clyster applicatur, ut videre est p. 351. l. c. Ex eo-  
dem porro p. 240. discimus, HIPPOCRATEM Lib. III. de  
morbis venti seu aeris per follem immissionem adde-  
ducenda intestina, ut subsequens clyster tanto promptius  
excipiatur, proposuisse, quod facile nemo ho-  
die temere tentaverit. Proxime elapsi seculi inven-  
tum est clyster tabacinus, cuius inventionem per-  
peram quidam Anglis tribuunt, cum ex PASCHI in-  
ventis nov. antiquis p. 454 constet I. A. STISSEVM Medi-  
cum Hamburgensem Dissert. de fumiductoriis curiosis, 1686.  
edita, instrumentum descripsisse a Barbaris primum  
excogitatum, & ex corio ea ratione confectum, ut  
tabaci fumus in anum immitti queat, cuius inventi  
utilitate comprobata, postea in Anglia commodior  
machina inventa est.

## §. XVI.

*Collyrium.* Collyrium κόλλυρον a voce arabica *cōhal* hodie denotat compositionem extemporaneam ex aquis! de-  
stillatis & paucis pulvulentis factam & oculis ex  
trinsecus vario scopo applicandam. Veteres vero  
aliud longe sub hoc nomine intelligebant, proprie-  
enim collyrium ipsis medicamentum erat con-  
sistentia solidum, forma cylindricum s. oblongo ro-  
tundum, ex pulveribus mineralium & vegetabilium  
ope succi quarundam herbarum, vel liquoris ungu-  
nosi & tenacis in cylindrum rotundatis, quales ho-  
dierni pharmacopolæ *magdaleones* vocare solent. Hæc  
veterum collyria futuros in usus servabantur, nam  
siccati hi cylindri vel in pulverem redigebantur, aut  
liquore quodam denuo solvebantur, & necesse fuit  
exigente parti affectæ oblinebantur. His collyriis  
usus est HIPPOCRATES Sect. V. 609. Ed. Fœf. in uteri ad-  
fectibus, CÆL. AVRELIANVS de morb. acut. lib. II. c. 12. lo-  
co suppositorii vel balani ad provocandum ventrem,  
denique & CELSVS L. II. c. VIII. in fistulis loco tu-  
rundarum, quæ methodus adhuc hodie obtinet, li-  
cet nomen collyrii supra descriptæ compositioni ad  
morbos oculorum solitarie competat.

## §. XVII.

*Condita.* Per *Condita* hodie intelligunt medicamenta offi-  
cialia ex aromatibus, radicibus, floribus, fructibus  
succis herbarum, quæ saccharo liquato incrustantur,  
parata, quæque priscis medicis HIPPOCRATI, CELSO &  
GALENO plane incognita fuere. Hujus potius medi-  
camenti inventio incidit in tempora AVICENNAE, qui  
primus

primus modum commonistravit, succos herbarum cum saccharo decoquendi, & ad longum tempus conservandi, cuius quoque egregium est inventum saccharum per cocturam ex cannis sacchariferis extra-hendi, nusquam enim ante tempora AVICENNÆ apud veteres Græcos talis coctura extat, aut in usu fuit, sed priscorum saccharum est illud, quod arundines ultro exsudant, seu etiam succulenta pinguedo, quam fractæ arundines fundunt, & quæ concrescit in succum pellucidum, ut pluribus ostendit NEANDER de laude medicinae p. 118. Bremæ 1623. Qui post AVICENNAM securi sunt medici medii ævi latorem conditi significatum assumere, cum & condita liquida habuerint, ut ex NIC. MYREPSO de purgat IV. Sect. 27. constat, quæ potius vini medicati formana habent, quale est ejus conditum mirabile.

### §. XVIII.

Chirurgorum *Cucurbitas* cum vel sine scarifica-*Cucurbita*  
tione notas fuisse priscis medicis scripta HIPPOCRATIS  
de intern. affect. I. 44. Epid. Lib. IV. 48. & Lib. II. Sect.  
6. comprobant, imo ORIBASIVS Lib. II. Cap. 18. & Lib.  
VII. Cap. 17 ex HERODOTO locum allegat de usu cu-  
curbitularum, quarum ulteriore utilitatem, stru-  
cturam & materiam fusius explicuere A. C. CELSVSL.  
c. Lib. II. Cap. III. & post ipsum ORIBASIVS, ÆGINETA,  
AETIUS ARETÆVS CAPPADOC. Tandem ex CÆLIO AV-  
RELIANO notamus, ipsum *morb. acut.* Lib. II. cap. 26.  
vocare cucurbitas sine scarificatione leves seu καθός,  
illas vero, quæ ex materia testacea vel vitrea con-  
fectæ erant αὐθικας p. 529.

### §. XIX.

*Decotta* seu *ptisanæ*, quas Græci ἀποσκαρα sive *Decotta* seu  
C 2 *Ptisanæ*

ἀφυσημα vocabant, inter antiquissima potus medicamentosi genera locum habuisse testis est HIPPOCRATES in iis, quæ Lib. de veteri medicina XI. p. 19. de primæva curandi ratione disterit. Ipse quondam ptisanam ex hordeo paratam ægris præscripsit, hoc autem nomine non decoctum hordei, sed farinam sua methodo ex hordeo paratam, & futuris usibus aservandam insigniebat. Præparandi modus sequens erat: macer tum in aqua hordeum ad crepaturam usque ad solem siccabat, istud sæpiuscule tundendo, donec cortice liberatum fuerit, tunc grana hæc farinacea pistrino commisit, & farinam inde factam diu in aqua coxit, coctam soli exposuit, & lente siccavit, farinam vero in futuros usus sub nomine ptisane aservavit. Iuxta eandem procedendi rationem farinam lentium, oryzæ, secalis, præpararunt medicive teres sub nomine ptisanæ lentium oryzæ, secalis, solum vero ptisanæ nomen per excellentiam hordei farinæ competit. Decocta ex his ptisanis parata crassiora erant nostro decocto hordei, & trajiciebantur per cribrum, majoremque nutriendi facultatem possidebant. Decocti species erat quoque hydromel HIPPOCRATIS, quod præparabat fermentatione mellis in certa aquæ quantitate, qui porus mulsa seu aqua mulsa audiebat Latinis. Hydromelon vocabatur, si huic decocto quicquam succi cydoneorum admiscebatur, quod apozema CÆLIUS AVRELIANVS l. c. p. 121. in morbis acutis suo tempore frequenter exhibuit. Plena coeteroquin sunt scripta ORIBASII & AETII decoctorum formulis.

## § XX.

*Diaphasmata* Veteribus quoque certi pulveres aromatum liquoris ope in linamentum redacti familiares erant, quas

quas *Diaphasmata* vocabant, quique ad suavem odorem cuti conciliandum, aut toti corpori, aut partibus, ut alis & foeminalibus accommodata erant, quorum usus hodie apud nos dudum exolevit, utut apud Orientales populos, antiquatarum consuetudinum tenacissimos hujus rei vestigia supersint. Ingredientia erant cerussa, iridis radix, terra filenaria, myrthus sicca, lauri baccæ aridae, spicæ folia, junci odorati flores aridi &c.

## §. XXI.

*Elegmata* seu *Linctus* Arabibus medicis *Looch Elegma*, sunt medicamenta interna officinalia instar crassioris syrapi liquida, quæ iterato linctu in ore liquefcebant, & in affectibus thoracis & asperæ arteriæ exhibebantur. Denominationem habent a λίγκη lin-  
go teste *PLINIO Hisp. Nat. Lib. XXI. Cap 3. XXIV. Cap. 7. XXVII. Cap. 12.* Ante sacchari inventionem cum melle, postea vero cum ipso saccharo parabantur. Hæc *HIPPOCRATES* jam suo tempore sapienter prescrisperit. ut ex libro de vīd rat. in acut. §. 51. & Sept. IV. 401.  
402 edit. Foes. videre est. *AEGINETÆ* & *AETII* tempore siebant decoctione herbarum in aqua, quibus sufficienter coctis & postea rejectis, hæc aqua cum æquali quantitate mellis ad spissitudinem decoquebatur, & adservabatur.

## §. XXII

*De Electuario* ut medicamento magistrali & officinali syrupo & elegmate crassiori apud veteres vix quicquam invenimus litteris traditum, nisi quod *CAE-LIVS AVRELIANVS* demorb. *chron. Cap. VIII. p. 191.* scilicet in electarii vicem dederit, & alibi p. 197. mel electarii basin faciat, ingredientia vero hyssopum, thymum

thymum & origanum. Dubitamus tamen has compositiones cum hodiernis electuariis in omnibus convenisse.

### §. XXIII.

*Elaeosaccharum* *Elaeosaccharum* est compositio magistralis recentiorum, ad quam parandam olea destillata vel balsama liquida ope sacchari Canariensis in pulverem rediguntur, qui vel per se interne datur, vel saporis gratia aliis pulverulentis formulis admiscetur. Inventum est recentissimum prioris scilicet seculi, quod DE LE BOE SYLVIO Professori Lugdunensi in acceptis fertur.

### §. XXIV.

*Elixiria* *Elixiria* sunt extractiones & solutiones aromatum & volatilium ope menstrui spirituosi factae, quarum præparationis auctorem FREINDIVS Hist. Med. p. 333. ROGERIVM BACONEM Anglum XIII. seculo viventem agnoscit. Posterioris ævi sunt elixiria menstruis aquosis parata, in quorum præparatione excelluit FRIDERICVS HOFFMANNVS celeerrimus Halensium Professor.

### §. XXV.

*Emplastrum*. *Emplastrorum*, quæ nunc sunt medicamenta officinalia & consistentiae solidæ, calore liquefcentia & dulcia, linteis vel tenuibus pellibus inducta, non omnibus eadem est antiquitas. SCHVLTZIVS Hist. Med. 176. negat HIPPOCRATI emplastrum fuisse cognita, CLERICVS Hist. de la Medicin. f. III. Lib. II. Cap. 1. econtra idem affirmit, cui ideo lubenter subscribimus, cum noto notius sit, HIPPOCRATEM ceratis (§. 14.) usum fuisse, quæ quam proxime cum emplastris convenienter. Quid, quod ante HIPPOCRATEM Aegyptii emplastrum

stra habuerint, quorum unum *Ijs* dictum alterum *ex didamno* appellatum, tertium *sacrum* ex historiarum monumentis constat, *Isidis nomine* quādam emplastrum *CRITO* apud *GALENVM* quoque recenset. *CELSI* tempore latissimus ipsorum usus fuit, qui non solum conficiendi modum, sed quot species fuerint docet *Lib. V. Cap. 17.* & quomodo a malagmate & pastillis differant *Lib. V. Cap. 18.* indicat. Veteribus quoque emplasti species erat *dropax* media inter emplastrum & malagma consistentiæ. *Vid. PAVLVS AEGINETA de remedica Lib. VII. Cap. 19.* *Amolynta* ipsis erant emplastrum sicciora & sine pinguedine, quæ tractantium manus non inficiebant. *Sipara seu Parygra unguinosa* magis erant emplastra, ex quibus cylindros *magdalidas* parabant, unde barbara magdaleonum appellatio hodiernis pharmacopolis.

### §. XXVI.

*Emulſio* est formula magistralis medii ævi ex ſeminibus & aqua in laeteum liquorem commutatis, cuius apud antiquos nullum invenimus vestigium. Primam tremoris amygdalini mentionem facit *ACTIVARIUS math. med. 30. d.*

### §. XXVII.

*Epispasticorum* uſum antiquis familiarem fuisse *Epispastica*. multis exemplis, si opus foret, probare possemus. *Ceropissus HIPPOCRATI* erat species dropacis ex cera & pice confecti, quod linteo induetur cuti applicatur, mox ſubito avellebatur, & iterato imponebatur ad rubefaciendam cutim. *επισπαστῶν* vocabulo uſi ſunt quoque in his medicamentis, quæ partim ad rubefaciendam cutim, si valentiora erant, partim ad eam

con-

constringendam, & immoderatos sudores cohibendos imponebantur, posteriori fine adhibebant cerussam tritam, gypsum, argenti spumam, myrti pulverem, malicorium, amyolum, galla acerba, acaciam &c. ad pruritum excitandum & partes rubefaciendas fæcem vini ustam, amoliam, nitrum, sal, sulphur, sinapi nasturtium, pyrethrum, ipsum piper, quibus & similibus pilos evellebant, quam antiquam consuetudinem populi Orientales hodierni, Turcæ & Persæ adhuc imitantur, & pilos barbæ, alarum & pubis studiose in balneis evellunt. *Sinapismi* in epilepsia usum jam commendatum legimus apud ORIBASIVM  
Tr. 15.

## §. XXVIII.

Extracta, *Extracta* ex succis vegetabilium coctis & inspissatis veteribus quodammodo cognita famosi elaterii exemplo comprobamus, cuius præparatio satis docet, multa veteribus cognita & explorata fuisse, quæ ad posteritatis cognitionem non pervenere. Illud enim, quod hodie paratur, nihil aliud est, quam succus cucumeris sylvestris per ignem inspissatus, & longe abest, ut efficaciam intuitu comparandus veniat cum veterum elaterio, calore solis sub forma feculae ex pulpa cucumerum sylvestrium parato, ut potius ceu nimis drasticum exulet. Apud DIOSCORIDEM Lib. IV. Cap. 155. p. 300. imo ex aliis fragmentis veterum satis constat, ipsos alios succos eadem ratione præparasse, donec sequior ætas ex Arabum medicorum instituto haec addito melle vel saccharo in syrupo vel conditorum (§. 17. formam redegerit, & quidem non semper bono cum effectu, cum eorum virtus saccharo fracta fuerit. Recentiores itaque Chemici laudem merentur, qui rejectis dulcibus hos inspissatos succos postlimonio in usum revocarunt.

## §. XXVIII.

## §. XXIX.

*Fomenta*, quæ sunt formulæ magistralæ extemporanæ, & duplice via vel sicca vel humida parantur, tantam antiquitatem præ se ferunt, ut nullum aliud medicamenti genus credamus antiquius esse. **HIPPOCRATES** passim decocta herbarum linteis, fasciis, spleniis excipienda commendat, & siccorum fomentorum notiones habuisse ex ejus *Libro de virtutis ratione in acutis* constat, ubi *Enporcupas* tale topicum ad pleuritidem notham & colicum dolorem mire commendat. Falluntur neoterici, qui epithematis vocabulum per fomentum vertunt, quod teste **GALENO** *meth. med. Lib. VII. Cap. IV.* erat medicamentum mediae consistentiæ inter emplastrum & ceratum, quoque maxime utebantur ad viscera, imprimis hepar roborandum in morbis internis, & cuius usus ferme desit. Apud hodiernos *Praeticos*, quæ carpis in morbis internis superdantur medicamina, forte commodum epithematis nomen retinent. Latinum fomentorum nomen ante Galenum cognitum fuisse docet passim **CAELIVS AVRELIANVS** in *opere de morbis acutis & chronicis*.

## §. XXX.

*Fonticulus* seu *Fontanella* posterioris ævi omnino *Fonticuli*. inventum est, & sufficienter *Doct. FREINDIVS* *Hift.* *Med. p. 28.* comprobavit, *IOH. ARCVLANVM* præstans. tissimum Chirurgum, qui seculo XV. vixit, fonticulos in doloribus oculorum, aurium & dentium primum adhibuisse.

## §. XXXI.

Per *Frontale* medici sui generis fomentum *Frontale*.  
(29) vel siccum, vel humidum intelligunt, quod  
D que

que fronti & temporibus varium in finem applicatur, & quod antiquis ignotum non fuisse probat *anacoloma* a **GALENO** memoratum. Maxime autem veterum oxyrrhinum, quod erat medicamentum liquidum ex arbitraria olei rosati & cuiusvis aquæ distillata cum aceto mixta quantitate distemperatum, antiquis in usu erat, quod tamen in desuetudinem abiit, cum frequens ejus usus in febribus ardentibus magis nocuus quam proficuus deprehensis sit. Apud Romanos frontale quoque dicebatur ornementum frontis equorum, ut habet **PLINIUS Lib. XXXVII. Cap. 12.**

## §. XXXII.

*Gargarisma* Decocti speciem, quod *Gargarisma* vocatur, **HIPPOCRATI** notam fuisse elegans & efficax ejus formula ex origano, satureja, celeri, mentha, nitro in aqua & aceto vini coctis satis comprobatur. Plures *gargarismatum* facultates describit **CELSVS Lib. II. Cap. 22.** & quod simul apophlegmatizantem virtutem possidet, a **TRALLIANO Lib. III. Cap. 6. p. m. 86.** describitur.

## §. XXXIII.

*Infusa*

*Infusa theiformia* noviorum temporum sunt productiones, & postquam *thea Chinensium* ubique est introducta sui quoque imitatores invenit apud medicos botanices gnaros, hinc vix apud antiquos hujus medicamenti ejusque formula vestigium occurrit. Ceteroquin infusio caloris vi nihil dissipat, simplicium vires puras sincerasque transfert in liquorem, dummodo menstruum non nimis crassum sed tenue fuerit.

## §. XXXIV.

*Lulepi.*

*Lulepi* seu *Lulapio* recentiorum mixturæ dilutissimæ & diaphanæ ex multa aqua & paucō syrupo com-

compositæ, coloris, saporis & odoris grati & jucundi. Aquam rosarum antiquitus basin hujus potus constituisse ipsa nominis ratio comprobat, dicitur euim a persico *gul*, quod rosam, & ab, quod aquam denotat, quasi ex rosa & aqua medicamentum. Forte ergo Arabum medicorum inventum est, qui sensim rosarum aquæ alias quoque destillatione elicitas sustinuerunt. Postmodum succos herbarum recentium expressos addidere, nam ACTVARIVS l. c. Lib. V. Cap. 1. julapia ex saccharo & herbarum succis cinnata perplurima descripsit.

## §. XXXV.

Oleorum tam chymice quam per expressionem & insolationem paratorum inventum minime novum est. Olei anaygdalarum inventionem. *ÆGINETA* de remediis Lib. VII. Cap. 20. 689. b. collectionis STEPHANI tribuit antiquis Aegyptiis, & ipse HIPPOCRATES, qui plurima huic nationi debet, haec trina Aegyptiorum olea: Oleum ægyptium, oleum album ægyptium, unguentum Ægyptium album commemorat. Oleiamarcini per destillationem parati mentionem facit CAELIVS AVRELIANVS chron. morb. Cap. VII. p. 387. Oleum ovorum AVICENNA Fr. 169. commendat. Quod tandem IOHANNI MESVE, qui aquam rosarum destillavit, cognita fuerint olea chymica, testem habemus magnum CONRINI Med. Hermet. Lib. II. Cap. 14. p. 407.

Oleum

## §. XXXVI.

Pessi subditissi seu Pessaria sunt medicamenta externa, quæ HIPPOCRATI jam innouere, ut patet Scđ. I. Cap. I. edit. Fassi, qui lanam concerptam in teretem formam duclam utero applicabat. Uberiorem eorundem parandi modum docet CELSVS Lib. V. Cap. 21. Pessulos uterinos in satyriasi adhibuit CAELIVS AVRELIANVS acut. morb. Lib. III. Cap. 18. Veteres Græci hos pessos dixerunt *Gαλανομόνιον* ex usus similitudine cum glandibus sive suppositoriis.

Pessaria

## §. XXXVII.

## §. XXXVII.

*Pilula*

Pilarum materiam antiquis sub nomine catapotiorum cognitam suisse jam supra (§xii) probavimus, formam tamen noviorum tenporum esse, & Arabibus Medicis deberi plerique ex recentioribus existimant, quod ipsum tamen non usque adeo certum judicamus, cum locus CAELII AVRELIANI morb chron Cap. VII. p. 533 huic sententiae contrarieatur, ex quo patet, ipsum catapotia in ervi magnitudinem efformasse, quorum quatuor vel quinque dedit devoranda. Nomen habent a pilâ, quasi parvæ pilæ propter rotunditatem. Priori & antecedenti seculo ex massis pilularum officinalibus siebat præscriptio, quæ hodie magis extemporanea est, & pro lubitu medentis varia ingredientia non neglegitis camen his pilularum officinalium massis admittit.

## §. XXXVIII.

*Potiones ex Temporaneis.* Formulæ magistralis, cui potionum extemporanearum nomen temporanea est, inventionem proxime elapsi seculi Celebri Medico DELE BOE SYLVIO merito tribuimus, nam quas apud antiquas inventimus formulas non alio præscriptas deprehendimus scopo, nisi cardiaco, quæ mera sunt julapia, cum SYLVIUS suis potionibus pulverulentâ addiderit, & iis promiscue in febribus & morbis continuis usus fuerit.

## §. XXXIX.

*Pulveres*

Pulverum internorum hodie usitatorum tanta non est antiquitas, quos enim GALENS & ejus asseclae ex vegetabilibus variis coniustis invexere, hodie amplius non in usu sunt, varijs eorundem compositiones tradiderunt ACTVARIVS & MYREPSVS. Ex quo vero saluum mediorum præparatio & ostracodermatum marinorum usus in medicina invaliduit, ex eo etiam pulveres inde confecti frequenter, sed in parva dosi, si rationem pulverum Galenicorum habes, in praxi medica introducti sunt, quorum usus, qualis hodie est, vix tria excedit secula.

## §. XL.

*Rotula & Tabula*

Rotula & Tabula, quæ sunt placentalæ rotundæ ex fac-

charo

charo cocto & succis herbarum ac fructuum acidulis ut plurimum formatæ, procul dubio sub tempore Arabum medicorum, ubi coctura sacchari (§ xvii) invaluit suum sumfere initium, an vero pastilli Græcorum idem fuerint præparatum, ut quidam volunt, de eo merito dubitamus. Trochisci trigoni mentionem facit CAELIVS AVRELIANVS l. c. p. 384. qui teste PAVLO ex seminibus apii, hyoscyami, anisi in aquatricis constabat, sed qui aliud medicamenti genus constituebat, quam quidem nostræ rotulæ sunt.

## §. XLI.

GALENI tempore jam cognitas fuisse sanguisugas testis est Sanguisuga CAELIVS AVRELIANVS, qui GALENO coævus, vel ut probabilis est, anterior, sanguisugas & spongias calidis emollientibus liquidis plenas l. c. Lib. III. Cap. 18. p. 251. in curatione satyriasis commendat, tum & in vesicae passionibus morbor. chyon. Lib. V. p. 754.

## §. XLII.

Serum Lætis scopo medico HIPPOCRATEM præscripsisse Serum Lætis ex Libro de morbis IV. §. 25. discimus. Præparatio ejus fere eadem ac hodie fuit, laeti cocto vinum, mulsum aut acetum instillabant, & massam colo trajiciebant, quoniam vero existimabant, serum laeti non tam celeriter corpus permeare ac aquam vel vinum, primum utentibus salis quantitatem admiscebant, postea continuato potu id etiam sine sale bibere permittebant, ut pluribus docuit ORIBASIVS Euporist. Cap. IX. Lib. I.

## §. XLIII.

Setaceum inter chirurgica præsidia dudum invaluit, te- Setaceum.  
statur nempe FREINDIVS l. c. p. 29. CAMANVSALI Bagdadi Medicum seculo XIII. florentem bis setacei mentionem fecisse, & eodem observante setacea accurate descripsit LAN- FRANCVS Medicus quidam quadringentis abhinc annis florens. Ignitam veteresacum pro setaceo applicabant, cui vero primum HOLLERIVS frigidam acum substituit.

D 3

## §. XLIV.

## §. XLIV.

*Syrupi*

Cum linctu proxime convenit *Syrupus*, qui succos simplicium in saccharo coctos exhibit. Horum conficiendi rationem docuere Arabes medici, postquam AVICENNA sacchari cocturam invenit, quo & sequenti tempore eorum usus adeo invaluerat, ut omnes fere morbos syrupis curaverint. Hodie infantum duntaxat medicina est. Vox ipsa cæteroquin barbara est, quæ CASTELLO Lexic. Med. melius per i quam per y scribitur.

## §. XLV.

*Sparadrapi-*  
*pum.*

*Sparadrapi*, tela emplastica, dicitur linteum emplastro (§ xxv) ad ignem fluenti immersum & refrigeratum. Antiquissimi & primarii quondam usus erat in balsamis Aegyptiorum corporibus, quæ contra aëris injurias talibus linteis muniebantur, postquam corpus succorum perfusione in mu-miæ statum redactum erat. Hujus lintei usus postmodum Græcis in Medicina adhibitus fuit.

## §. XLVI.

*Spiritus ar-*  
*dentes.*

*Spiritum ardantium ex liquoribus per fermentationem paratorum usum ante hos quadringentos annos docuere chemici nonnulli, cum primis ARNOLDVS DE VILLANOVA & RAYMONDVS LVLLIUS.*

## §. XLVII.

*Suffitum,*

*Suffitum Syphilisariorum* sub varia forma adhibitarum ad plurimos morbos utilitatem predicit HIPPOCRATES Aph. Sept. V. Aph. XXVIII. & in Libro de morbis mulierum Φοιδες seu Φοιδες vocat placentulas minoris monetæ magnitudine, quas prunis ardentibus pro fumigatione medica inspergebat, unde, ut opinamur, hujus pharmaci antiquitas satis constat.

## §. XLVIII.

*Suppositoria*

*Suppositoria*, quæ & glandes balani *ra* ὄντερα HIPPOCRATI saepius ex usu fuere, ut Sept. III. p. 263. edit. Foss. patet. Succus mercurialis, nitrum, pulvis colocynthidis con-fuetu ipsi erant intestinorum irritamenta. Cæteroquin non diffe-


differunt a pessō (§ xxxvi) nisi quod ano intrudantur. Figura ipsorum, ut hodie, vel sphærica, vel cylindrica erat.

### §. XLIX.

Venælectio ante HIPPOCRATIS tempora jam innotuit, & *Venælectio.*  
PLINIO teste Aegyptii hoc remedii genus ab Hippopotamo animali amphibio didicerunt, & licet hanc originem tanquam fabulosam rejiciat CLERICVS Hist. de la Med. Lib. I. Cap. 18. non tamen existimamus a quoipam summam venælectionis antiquitatem in discepcionem vocari, cum ipse met CLERICVS I. c. suspicatur Aegyptiorum AESCVLAPIVM secundum, cuius CICERO de natura Deorum Lib. III. mentionem facit, hujus operationis auctorem esse. STEPHANVS geographus libro de urbibus sub titulo Syrna phlebotomiae inventorem dicit fuisse PODALIRIVM CENTAVRI filium: τὸν ποδαλεῖρον ἀφικάτηρα τὸν βραχίονων ἄμα αὐθέλοντα, σώσας τὴν παιδία. PODALIRIVS ab utraque puella brachio sanguinem extraxit, quo puellam sanitati restituit. Primi venælectores instrumentum simplex, quale est scalpellus, adhibuerunt, & CELSVS ipse quoque ejusmodi cultro venam secuisse nobis videtur, nominat enim suum phlebotomum sine ullo epitheto scalpellum, cuius tamen mentionem fecisset Lib. VII. Cap. 19. si peculiarem formam habuisset instrumentum. Inter Arabes optime de hac operatione meritus est ALBVCASIS, qui Lib. II. Cap. 95. edit. Basil. Fol. 1561. tria pro hac instituenda descripsit instrumenta. Insequentis ævi fuit Phlebotomus, ex cuius correctionibus sensim enatum est recentiorum phlebotomum elasticum, der Schneppfer, cuius emendationes variae habentur. Lanceola, quæ scalpelli ancipitis formam habet, instrumentum non valde antiquum est, cuius inventionis gloria a quibusdam Gallis, a quibusdam Italis tribuitur. Tandem summæ admirationis argumentum veteres chirurgi nostratis reliquere, quod uon ut hodie fit, perpaucas pedis, brachii, collii et capitis venas tundere noverint, sed longe plures & in variis corporis regionibus sitas, quarum notitia hodiernis prorsus excidit.

### §. L.

Veterum *Vesicatoria* aut erant epispastica (§ xxvii) aut caute- *Vesicatoria,*  
ria



ria actualia, cantharides vero pro hoc usū ipsis erant ignota,  
& ACTVARIYS primus est 94. 6. qui cantharidum ad cutim  
in vesicam attollendam usum commemorat. Escharoticorum  
nōmen jam innotuit CAELIO AVRELIANO l. c. 287. erantque  
cataplasmata ex sinapi solo vel cum calce viva & sulphure  
remixta. Aquæ calidæ, imo pene ferventis adfusionem quo-  
que substituebant vesicatoriis veteres, ut habet HIPPOCRATES  
de internis affectibus & CLAVDIYS GALENVS meth. med, Lib. XIV.  
Cap. 16.

## §. LI.

*Unguentum.* Quod unguentum sit medicamentum forma inter lini-  
menta & cerata (§xvi) medium, & olea costa non minus  
quam destillata infrequentur excipiat, utpote pro linimentis  
magis usitata, in vulgus notum est. HIPPOCRATES passim horum  
facit mentionem, & probabile est Græcos potius ab Aegy-  
ptiis, quam ab alia quacunque gente unguentorum accep-  
te usum & artem. Ex compositione eorundem patet, cum  
veterum ceratis quodammodo convenire.

## §. LII.

*Epilogus.* Atque hæc sunt, quæ in arguento multis spinis & dif-  
ficultatibus circumsepto, quale est remediiorum pharmacev-  
ticorum & chiurgicorum antiquitas & inventio, comminisci  
lubuit. Multas quidem, nec parvi ponderis difficultates, hi-  
scæ nostris conjecturis obrudi posse, & scimus & fatemur.  
Verum animus nobis haud fuit cuncta, quæ ambitum hujus  
argumenti concernunt eruere, dissertatio nostra in nimiam  
ex crescere molem. Tuebimur itaque nostram pro virili sen-  
tentiam, donec Lyncaeus aliquis ostendat  
strinxisse nos, ut dici solet  
pro Iunone Nubem.  
FINIS.












01 A 6509

ULB Halle  
002 931 249

3







37.

DISPV TATIO MEDICO HISTORICA  
SISTENS  
CHRONOLOGIAM  
FORMVLARVM MEDICARVM ET  
REMEDIORVM CHIRVRGICORVM  
QVAM  
PRAESIDE  
CAROLO AVGUSTO DE BERGEN

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDINARIO

SOCIETATIS CAESAREAE NAT. CUR. SODALI

HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN

ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITIT

DEFENDENS

CAROL. STEPH. LUDOVIC. WESENFELD.

CROSNENSIS SILESIVS.

~~37~~ AD DIEM III. OCTOB RIS MDCCCLIV.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEXII.